

*Instrumentum assignationis
dotium da parte di Bartolomeo
Scontrino de Ferrara, abitante in
Potenza, a favore di Margherita,
moglie di Giovanni de Padula*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Instrumentum assignationis
dotium da parte di Bartolomeo
Scontrino de Ferraria, abitante in
Potenza, a favore di Margherita,
moglie di Giovanni de Padula*

1487 luglio 21

† In nomine domini nostri Iesu Christi, amen.

Anno a nativitate ipsius millesimo quadricentesimo optuagesimo septimo, regnante illustrissimo et serenissimo domino domino nostro domino Ferdinando, Dei gratia Sicilie, Ierusalem et Hungarie rege, regni vero eius huius Sicilie anno tricesimo secundo, feliciter, amen, mense iulii, die vicesimoprimo eiusdem anni, quinte indictionis, apud civitatem Potencie.

Nos Iulianus Petrucii de Labella de Potencia ad contractus per totum regnum Sicilie regia auctoritate iudex, Berardinus de Centum Manibus puplicus ubilibet per totum iddem regnum Sicilie regia auctoritate notarius, notarius Sollempnus de Cannillo, Iulius de Vineola, Silvester de Nole, Orlandus de Clappo et Iohannes de Sansa testes liciterati de Potencia et aliunde ad hoc specialiter vocati, habiti et rogati presenti scripto puplico instrumento fatemur, notumfacimus et testamur, quod pretitulato die in nostri quorum supra presentia personaliter constitutis Bartholomeo Scontrino de Ferraria, cive et habitatore dicte civitatis Potencie, agente ad infrascripta omnia pro se, heredibus et successoribus suis ex parte una, et Margarita, uxore Ioannis de Padula, stante cum auctoritate dicti Ioannis, eius viri et legitimi mundualdi, presentis et auctoritatem et consensum pariter et assensum prestantis, agente dicta Margarita ad infrascripta omnia pro se, heredibus et successoribus suis ex parte altera. Predictae ambe partes asseruerunt coram nobis quod temporibus preteritis dictus Bartholomeus tenuit in filiam spiritualement in domo sua ipsam Margaritam que eidem Bartholomeo et eius uxori et operibus domus ipsorum serviebat tamquam filia spiritualis

propter quod dictus Bartholomeus ipsam Margaritam maritavit et dedit eidem in virum dictum Ioannem de Padula, cuius matrimonii contemplatione dictus Bartholomeus promisit eisdem coniugibus nonnullas res dotales et pecuniarum quantitates, prout apparere dixit per contractum factum manu notarii Galieni de Lauro, et quia dictus Ioannes de Padula desponsaverat ipsam Margaritam in faciem ecclesie cum benedictione sacerdotali secundum ordinationem Romane ecclesie, petiebat a dicto Bartholomeo satisfieri de dotibus promissis quia non licebat substinere onera matrimonii dotibus non receptis. Et dictus Bartholomeus asserebat non teneri ad assignandum dotes dictis coniugibus opponendo ipsam Margaritam debere servire eidem Bartholomeo annis tribus completis, prout convenerunt tempore quo ipsam recepit in filiam spiritualem, propter quod erant tracti ad iudicium coram Ioanne Nicolao de Inganulo, iudice specialiter delegato per excellentem dominum comitem Potencie, coram quo litigantes fatigabantur sumptibus et expensis. Quibus partes ipse volentes parcere ac amicabiliter vivere tamquam de patre in filiam ac comunium amicorum interveniente tractatu, ad infrascriptam conventionem, transsactionem et concordiam devenerunt, videlicet quod dictus Bartholomeus teneatur et debeat de dictis dotibus promissis dictis coniugibus dare et assignare uncias tres de carlenis argenti et lectum unum fornitum, videlicet cum uno matratio pleno capitii, uno chyummatio, pari uno de lintheaminibus et una cultra, quas uncias tres et lectum fornitum, ut supra, dictus Bartholomeus dare teneatur dictis coniugibus in hiis terminis, videlicet hinc et per totum mensem septembris proximo futurum proximi futuri anni

sexe indictionis, unciam unam de eadem et dictum lectum fornitum, et dictas reliquas uncias duas infra alios duos annos completos numerando a dicto mense septembris dicte sexte indictionis, videlicet omni anno unciam unam. Volentes partes ipse expresse dictum contractum factum manu notarii Galieni predicti per presentem instrumentum cassum, irritum et annullatum esse, ita quod nullam fidem faciat de cetero in iudicio nec extra. Quietantes, liberantes et absolventes partes ipse una alteram et altera alteram vicissim et econtrario per Aquilanam stipulationem precedentem et acceptilationem inde sequutam de omnibus rebus forte debendis ad invicem et servimentis et specialiter quod dicta Margarita non possit amplius petere de dotibus preter suprascripta et in terminis suprascriptis et similiter dictus Bartholomeus non possit petere certa bona que dederat ipsis coniugibus nec illa excomputare possit in dictis unciis tribus et lecto fornito quia sic est inter partes specialiter conventum. Promictentes et obligantes se ambe partes per se et eorum hederes et successores, dictus Bartholomeus conventionem, transsactionem et concordiam ac omnia super et infrascripta ratas, gratas et firmas ac rata, grata et firma habere, tenere, adimplere et in nullo contrafacere vel venire aliqua ratione, causa vel ingenio de iure vel de facto, et litem vel controversiam una alteri non inferre nec inferenti consentire sub ypotheca et obligatione omnium bonorum eorum mobilium et stabilium, presentium et futurorum contraque non facere vel venire ad penam et sub pena dupli pecunie et bonorum suprascriptorum, medietatem videlicet ipsius pene si eam commicti contingat curie regie vel alteri curie competenti coram qua forte ex hoc fuerit reclamatum, et reliquam ipsius pene

medietatem parti servanti et servare volenti premissa applicandum cum integra refectione, restitutione et emenda omnium damnorum, expensarum et interesse, me quoque dicto notario tamquam persona publica nomine et pro parte ipsius curie et omnium et singulorum quorum vel cuius inde interest, intererit et poterit interesse dictisque presentibus pro ipsis et eorum heredibus et successoribus penam et obligationem ipsas sollempniter et legitime stipulantibus, que pena totiens commictatur et exigatur realiter et cum effectum quotiens contra premissa vel premissorum aliquod fuerit contraventum aut contraveniri temptatum. Quibus quidem pena dampnis, expensis et interesse solutis vel non solutis, in totum vel in partem aut gratiose remissis, presens nihilominus instrumentum cum eadem adiectione pene et omnibus in eo contemptis semper in suo robore firmitatis perseveret. Et ad maiorem cautelam firmitatemque ipsarum partium dicte ambe partes manibus tactis scripturis in manibus meo prefati notarii ad sancta Dei evangelia fecerunt et prestiterunt debitum iuramentum servare et adimplere omnia et singula supra et infrascripta et contra ipsa vel ipsorum aliquod nullatenus veniendum, super quibus omnibus et singulis dicte partes una alteri et altera alteri vicissim et e contrario renunciaverunt exceptionibus doli mali, vis, metus, fraudis et in factum, generalis et specialis erroris, exceptioni non sic celebrati contractus, re predicto modo non geste vel aliter geste quam scripte, exceptioni dicte conventionis non facte nec realiter subsequente, beneficio restitutionis in integrum si locum haberet, legi qua confexis infra biennium subvenitur, iuri per quod deceptis ultra dimidiam subvenitur, iuri prohibenti penam in contractibus adhiberi et adhibitam

Margherita, moglie di Ciriaco, et generaliter
exigi prohibet et committit et generaliter et specialiter
omni alii iuri et legum auxilio tam canonici quam civilis,
iuri scripto et non scripto, promulgato et promulgando,
cuilibet consuetudini et rescripto impetrato vel de novo
impetrando, per quod seu que aliqua ipsarum partium
uti seu iuvare se posset et a premissorum observantia
aliquatenus se tueri ad infringendum premissa vel
aliquod premissorum et specialiter iuri prohibenti
generalem renunciationem fieri et factam non valere.
Certiorate prius ambe partes, ut dixerunt, de iuribus,
legibus et exceptionibus ipsis et eorum effectibus
antequam renunciarent eisdem et voluerunt quod presens
instrumentum cum omnibus in eo contemptis in iudicio
productum vel non productum possit et valeat de
defectu alicuius sollempnitatis obmisse per me prefatum
notarium corrigi, emendari atque suppleri ad consilium
sapientis veritatis tamen substantia in aliquo non mutata.

1

2

3

Unde ad futuram rey memoriam et tam omnium quorum
vel cuius inde interest, intererit et poterit interesse
certitudinem atque fidem quam dicte Margarite et
eius heredum cautelam de premissis omnibus presens
puplicum instrumentum exinde factum est scriptum
quidem per manus mey Berardini regia qui supra regia
auctoritate notarii, signo meo solito signatum mey qui
supra iudicis ac nostrum prefatorum testium licteratorum

Così A.

Così A.

Così A.

signis et subscriptionibus propriis roboratum. (SN) Notarius Berardinus † Ego Freda de Palermo de Potencia regius ad contractus iudex non quod fatear me intervenisse pro iudice in primis gestis et tempore celebrationis dicti instrumenti, sed subrogatus a partibus quarum interest intervenisse, me loco et vice condam Iuliani de Labella, qui in primis gestis et tempore puplicationis dicti instrumenti pro iudice intervenit, auctoritate siquidem et potestate michi tradita per regiam magestatem de subscribendo et subsignando me in omnibus et singulis instrumentis iudicum mortuorum et in antea decidentium, supradicta fateor et propria manu me subscripsi et signo meo solito signavi. (S) FREda † Ego Orlandus de Clapis testi sum. † Ego Silvester de Nole de Potencia testor. † Ego notarius Iulius Viniolensis, Potentinus, testis interfui.

4

5

Così A, con ripetizione della parolaregia già scritta anticipatamente.

Le lettere FRE sono in nesso.